

J. J.

PRÆGUSTUM ÆTER-
NÆ DAMNATIONIS,

PRÆSIDE

DN. JO. GVILIELMO BAJERO,

SS. THEOL D. EJUSDEMQUE FACULT.

P. P.

DN. PATRONO AC PRÆCEPTORE SUO

ÆVITERNUM VENERANDO,

ERUDITORUM DISQUISITIONI

IN ALMA SALANA

EXPONET

AUTOR-RESPONDENS

SIGISMUNDUS *Rißling*

OETTINGA-SUEVUS,

d. SEPT. M. DC. LXXXIV. *sept. 1684*

JENÆ, LITERIS BAUHOFERIANIS.

R. Rißling




J. J.
PRAEGUSTUM AETER
IN DAMNATIONIS
PRAEDIC
DN IO. GUILIELMO BAIERO
SS. THEOL. D. P. SEDENTIS FACULT.
P. P.
DN PATRONO AC RECTORI
UNIVERSITATIS
ERUDITIONIS THEOLOGICAE
IN ALMA MATER
EXONIS
Auctor Respondens
SIGISMUNDUS
OTTOMAR
JONES, LITERIS BANNHOFERIANIS

[Handwritten signature]





JOVA JIVA!



Ia inferni sive atrocium æternæ damnationis
 malorum & cruciatuum meditatio cuius Chri-
 stianorum, meritò debet esse commendatissima:
 siquidem tam multi egregiæ utilitatis rivuli ex-
 inde promanant, ut vix recenseri queant. Est
 pia hæc meditatio quasi instrumentum, quo non
 solum beatitudinis magnitudo rectius agnoscitur, sed et-
 iam (quemadmodum aliàs opposita juxta se posita clarius elucescunt)
 quo impii, deliciis hujus mundi impliciti, sed bonitate finis Theologiæ
 exoptatissimi nondum permoti, gravitate pœnarum ob oculos posita,
 cum beatitudinis absentia, tum tantæ itidem expectandæ miseriz con-
 sideratione terrentur. Est hæc meditatio probatissimum adversus
 quævis peccata antidotum: quos enim innumerus ille atrocissimorum
 æternæ durationis suppliciorum cumulus hominum animabus à DEO
 secedentibus destinatus, non ab omni impietatis amore & peccandi li-
 bidine detineat? Est hæc meditatio ingens ad sinceram pietatem in-
 citamentum, scilicet, ut non timeamus eos, qui corpus occidere pos-
 sunt, animam occidere non possunt, sed eum potius, qui animam pa-
 riter & corpus perdere potest in gehenna Matth. X. v. 28. Atque huc
 etiam plurima Patrum in hac meditatione occupatorum dicta colli-
 neant. Ita enim Chrysof. Homil. 2. in 2. ad Thesf. p. 1405. *Regni
 non ita recordemur ut gehenna. Timor enim promissione potentior est &
 efficacior. Et novi complures innumera bona promissa contempturos
 fuisse, si de supplicio securi fuissent ac liberati &c. Item. Nemo eorum
 qui Gehennam ante oculos habet, in Gehennam incidit. Nemo Geben-
 nam contemnentium Gehennam effugiet. Nihil ita est utile, atque de
 Gebennâ differere: quovis argento puriores nobis animas facit. Et Bern-
 hardus in lib. de vita solitaria ad fratres p. m. 1021, : Descendamus in*

(2)

infernum viventes, ne descendamus morientes. Sicut enim assidue contemplando revisere amant (pii) gaudia Coelestia, ut ardentius ea appetant, sic & dolores inferni, ut horreant & refugiant; Et hoc est, quod imprecantur inimicis suis, orantes scilicet, ut descendant in infernum viventes. Cyrillus verò Alexandrinus in oratione de exitu animæ: *Gehennam timeo, quippe interminatam, exhorreo tartarum, ut cui nimium insit calor; paveo tenebras, quoniam nihil admittunt lucis, formido pestiferum vermem, quoniam est perennis.* Gerson in lect. 33. in Canonem: *Felix terror transitorius, qui timorem aeternum excludit.* Præbuit mihi eadem hæc meditatio occasionem altius expendendi doctrinam de Prægestu æternæ damnationis in hac vita, quâ quidem operâ etiam futurum credidi, ut appareat publicè, quod in Academiis non tantum schola, quod ajunt, sed & vita discamus; dumque intellectum scrutinio rerum, quas DEUS revelavit, excolimus, simul etiam voluntatis & affectuum emendationem & institutionem, quæ est in justitiâ, sectemur.

§. II. De prægestu autem damnationis acturo cum ex lege methodi ante omnia explicandi sunt termini, paucis quæ huc pertinent declarabimus. Quemadmodum itaque *damnandi* verbo, in oppositione ad *solè absolvere*, adeoque sensu judiciali, utuntur Auctores: ut idem sit atque cognitâ causâ latâque sententiâ reum aliquem declarare ac pœnis subicere; sic damnatio hoc loco & in foro Theologico, præsertim quando cum appposito *damnatio aeterna* nominatur, malum illud insigne denotat, cui qui reatum peccatorum sibi contraxerunt, coram tribunali divino fiunt obnoxii: nempe oppositum beatitudinis æternæ, partim *privativè*, quatenus carentiam omnium bonorum, quæ beatorum felicitatem ingrediuntur, importat, quæ carentia vocatur etiam *mors secunda*, vid. Apoc. II. II. C. XX. 6. aliàs apud Scriptores Ecclesiasticos *pœna damni* audit: partim *positivè* sive contrariè, quatenus non nudam beatitudinis absentiam dicit, sed cruciatus positivos & colluviem ingentem, sensumque malorum acutissimum continet; Cujus synonyma sunt: *Status opprobrii, status ignominia, ignis æternus* vid. Dan. XII. 2. Matth. XXV. 23. 46. dicitur etiam aliàs *pœna sensus*. Terminus autem *Prægestus* quum non ita pridem in Dissertatione Dn. D. Præsidis de *Prægestu æternæ beatitudinis* expositus

tus



(3)

tus sit, benevolum lectorem eò ablegatum volumus, solum hic repententes, notiones gustandi & prægustus esse propriè sensûs & ad forum physicum pertinere, quoniam *וּגְדַל* gustare rerum materialium est; hîc autem ex parte prægustus damnationis versari circa ea, quæ ad animam formaliter spectant, adeoque objectum immateriale, quale speciatim est pœna damni, quam vocant, i. e. totalis omnium bonorum spiritualium, quibus animæ sanctorum recreantur ac beantur, & sensus doloris exquisitissimi, quò anima DEUM iratum experta afficitur: unde quemadmodum aliàs in Scripturis S. frequentiore usu receptum est, vocabula sensuum ad intellectum & voluntatem atque harum facultatum operationes immateriales denotandas per metaphoram & ex vi similitudinis haud raro usurpare: ita & h. l. illud fit, & videri potest Hiob. XXI. 25. ubi *מִרְרָה בְּנַפְשׁוֹ* in animâ amarâ idem est, ac mori in summo mœrore & angoribus gravissimis: prout & aliàs *amarum esse & amarescere* metaphoricè calamitates magnas significat, sicut ingrata sunt gustui amara. vid. B. Glassius Rhet. S. Tract. I. C. XII. p. 361. (1305.) & Edoard. Leigh in Crit. S. voce *מרר* P. I. p. 84.

§. III. Important igitur hi termini junctim positi, & ex vi vocis, & ex usu loquendi, intelligentiam & sensum pœnarum infernalium damni & sensus, sive privativarum & positivarum: non tam quidem talem, quando homo actu libero, animoque quieto, meditatur statum illum miserrimum impiis expectandum; quam tristiores illam ac dolorosam perceptionem malorum istorum, quando scilicet homo videt (præprimis quidem in mortis agone, corpore omnibus penè viribus exhausto, attamen & aliàs) occurrere sibi sua peccata, illaque oculis mentis perlustrans, seipsum reum agit, sibi ipsi pœnas promeritas denunciat, ac debita Gehennæ tormenta imminere sentit: accedit etiam nonnunquam apparitio spirituum malignorum, ad rapiendam animam paratorum, quæ immensum dolorem excitat: de quibus post paulò distinctius videbimus.

§. IV. Interim prægustus damnationis quâlicunqve conceptu suppeditato, ut rem ipsam non tam fingi, quam existere constet; Etsi neminem qui *ראי עגלה*, & inter illa infernum seu damnationem æternam aliàs agnovit & credidit, inficias iturum putemus; si tamen argumentis utendum sit, non solum provocare possumus ad varia

A 3

scripta

scripta nostratum, qui illum, tanquam rem feriam, quæque aliis obtigerit, aliis metuenda sit, iustâ atque eruditâ operâ tractandum susceperunt. Ex quibus in primis laudamus D. *Cloytræum* Lib. de Morte Æterna, *Morlinum*, *Gesnerum*, *Vinarienses*, *Bakium* ad diversa scripturæ, Psalmorum cum primis loca; *Gerhardum* in Harmonia & alias, *Meyfarum* im höllischen Sodoma, *Brunchorstium* Libello peculiari von hohen Geistlichen Anfechtungen / *Murschelium* in Vespera occidentis gratiæ DEI vom Untergang der Gnade Gottes und Vorschmack des ewigen Todes. Sed & ex vi oppositionis, sive quia præ gustum beatitudinis dari certum ac sæpe ostensum est, facile ostendi posse credimus, dari similiter præ gustum statûs damnationis: præterea præstò sunt non pauca Scripturæ dicta quibus præ gustus ille indicatur, v. g. quod Hanna I. Sam. II. v. 5. dicit: *Dominus facit descendere in infernum, & facit ascendere.* Quæ verba sic *Ὁ Θεὸς ὁ ἰσχυρὸς* L. Oslander: *Quos caelesti gaudio perfundere decrevit: cor prius inferni terrores & horrores in conscientia sentire sinit: Quod David Psalm. XVIII. v. 5. dicit: Torrentes Belial me terrebant: Dolores inferni circumdederant me.* Et plura alia, quorum in progressu distinctam faciemus mentionem.

§. V. Exempli autem loco adduci solent *Jobus*, qui quamvis DEO probatissimus, de se ipso conqueritur cap. VI. v. 4. *Sagitta omnipotentis in me graviores sunt, quarum venenum bibit Spiritus meus, terrores DEI instructi invadunt me.* *David* itidem, qui passim lamentatur, *sagittas Domini altè corpori suo infixas esse* Ps. XXXVIII. v. 2. Et *Paulus*, cuius *carni infixum stimulum*, nihil aliud nisi præ gustum hujus damnationis æternæ fuisse rectissime censetur II. Cor. XII. v. 7. Imò vero etiam huc suo modò referimus *Christum* patientem, sanctum quidem ipsum, ἀκακὸν καὶ ἀμίαντον, susceptis tamen alienis ac totius humani generis peccatis, in ara crucis, altâ flebilique voce exclamantem illud Ps. XXII. v. 1. *אֱלֹהֵי אֱלֹהֵי לָמָּה עָרַבְתָּנִי* *DEUS mi, DEUS mi, ut quid me deseruisti: utpote quæ desertio nihil aliud erat, quam unâ cum externa carentia liberationis, interioris consolationis defectus, de quo potissimum conqueritur Christus, quod videlicet omni interiori à benignissimo Patre suo solatio destitutus, peccatorum totius mundi gravitatem sustinere debebat, quibus DEUS Pater, iudex iustissimus, offensus non potuerat* non

non irasci. *Atque hi sunt, (inquit B. noster D. D. Joh. Gerhardus in Harm. sua Evangelistarum c. 16. p. m. 781.) dolores verè infernales, sentire scil. se expositum esse omnis generis gravissimis calamitatibus, & nullam sentire in anima vivificam consolationem, & hoc vocat Christus derelinqui à DEO. DEUS est summum gaudium summum bonum summa letitia, adeoque ipsum cælum, E. derelinqui à DEO est derelinqui in summâ tristitiâ, mœrore, afflictione, inferno & omni malo. Unde quamvis Jesuitis quibusdam, & nominatim Bellarmino L. IV. de Anima Christi c. VIII. absurdum videatur, dolores infernales Christo adscribere, Nostrates tamen ex historia passionis & conjunctis aliis Scripturæ dictis edocti firmiter defendunt: & ex ipsis Pontificiis aliqui agnoscunt; nominatim Joh. Ferus qui lib. IV. Comm. in Matth. ad Cap. XXVII. p. 517. scribit: Christus, ut peccatores liberaret, constituit seipsum in locum omnium peccatorum: non quidem furans, adulterans, occidens, &c, sed stipendium peccatorum, (qua sunt frigus, calor, esuries, sitis, timor, tremor, horror mortis, horror inferni, desperatio, mors, infernus ipse) in se transferens, ut famem fame, timorem timore, horrorem horrore, desperationem desperatione, mortem morte, infernum inferno vinceret. Et Nicolaus Cusanus Lib. X. excitat. Passio Christi, scribit, qua major nulla esse potest, fuit ut damnatorum, qui magis damnari nequeunt, scil. usque ad pœnam infernalem.*

§. VI. Ceterum in pleniorẽ Præ gustus hujus cognitionem facillimè opinor descendemus, si oppositum vitæ æternæ præ gustum animo repetamus, ut, quemadmodum aliàs Status corruptionis post lapsum, factâ collatione cum statu primævo s. integritatis, & status ipse damnationis cum statu beatitudinis rectissimè intelligitur; sic præ gustus damnationis ex collatione cum præ gustu beatitudinis rectius intelligatur. Consistit ergo præ gustus damnationis in duabus præcipuè partibus juxta duas pœnarum infernalium classes, privativam scil. & positivam. Ad illam pertinet, quod sicut præ gustus vitæ æternæ ex parte intellectus importat cognitionem supernaturalem, quâ mens humana non solum de suâ cum DEO per Christum reconciliatione & acceptatione, verum etiam de ipsa in DEO per Christum consequenda beatitudine, vi promissionis divine, in scripturis revelata & per gratiosam Spiritus S. operationem ob signata, certior redditur &

ad

ad assensum non qualemcumque, sed fortiozem & pleniozem perducitur; bonum tam insigne ac singulare, absens quidem & ex se arduum, tamen ut impetrabile atq; impetrandum cognoscit: (juxta ea quæ in Disp. de Prægustu V. Æ. dicta sunt §. L.) sic prægustus damnationis importat ex parte intellectus negationem aut carentiam talis cognitionis, seu quod homo, etsi indigentiam gratiæ DEI, & hanc aliquibus collatam aut conferendam agnoscat; tamen in se descendens, se cum DEO per Christum reconciliatum esse, se consecuturum beatitudinem non agnoscit; & quamvis explorans, utrum gratiosa DEI in ipso operatio appareat, non tamen aliquid ejus invenit, adeoque gratiam & beatitudinem, ut bonum arduum quidem, non autem ut sibi præsens, aut impetrabile, aut impetrandum, cognoscit. Deinde quemadmodum prægustus V. Æ. ex parte voluntatis importat boni istius, quod diximus, cogniti velut amplexum quendam seu amorem, ac spem non dubiam beatitudinis, sed roboratam, unà cum voluptate sive gaudio prædulci, inusitato & inenarrabili &c. juxta verba Disp. cit. d. l. ita Damnationis prægustus importat absentiam horum actuum, amoris, spei & gaudii circa DEUM reconciliatum, & bona ab ipso impetrata aut impetranda occupatorum,

§. VII. Prima itaque pars prægustus Damnationis uno verbo est subtractio sensus gratiæ DEI, & illius quidem gratiæ, quæ consistit in remissione peccatorum gratuita, & acceptatione hominis in filium atque hæredem vitæ æternæ. Quam in rem B. Joh. Arndtius Conc. 1. in Psal. VI. p. m. 27. recte scribit: Wenn sich Gott von einem Menschen abwendt/sich ihm entzeucht/ihn nicht seine Gnade/seine Gegenwart/seine Erhaltung/seinen Trost empfinden lässt/sondern von denselben abzeucht. Dadurch die Angst der Seelen/das inwendige Herkeleid und höchste Traurigkeit entsteht. Da man mit der Hölle und Todes-Furcht geplagt wird. R. Conf. Eund. Conc. III. in Psalm. XVIII. p. 98. 99. ubi memorat, DEUM aliquando in casu tentationis permittere, ut gustum quendam mortis æternæ percipiamus, nempe carentes solatio & aspectu DEI, quietis, pacis & gaudii in DEO. Atque huc ex dictis Scripturæ aliàs accommodari solet querela Jobi, Cap. XXIII. v. 8. En si antrosum ivero, non aderit, si vero retrorsum, non animadvertam eum, (nempe ut judicem
fa-



faventem, qui causam meam agere, meque optata sententia recreare velit: quamvis fatendum sit, Jobum l. c. non tam ut suorum peccatorum sibi conscium adeoque anxium, quam ut indignatione ob acerbissimas calamitates, quas insons patiatur, ac nihilominus ab amicis, quasi hæc pænæ sint malefactorum, accusetur, conqueri de sui à DEO desertione. Et Davidis, Psal. LXXVII. v. 8. *Nunquid in secula repellet (me) Dominus? nec addet, ut bene velit adhuc? Nunquid defecit verbum in generationem & generationem? Nunquid oblitus est misereri DEUS, num conclusit in ira misericordias suas?* Imprimis vero ἐν Φαρισαῖοις sunt verba Psalmi XXII. quæ Christus crucifixus sua fecit: *DEUS mi, DEUS mi, ut quid me deseruisti!* quibus l. c. adduntur hæc: *Elongatus es à Salute mea, & à verbis rugitus mei, DEUS mi: clamo per diem, & non exaudis; & nocte, & non est silentium mihi:* quæ verba sic παρὰ Φαρισαῖοις Henricus Mollerus Præfat. in Psal. XXII. *Prorsus non ostendis (ô DEUS) quod me ames, quod me velis juvare & liberare ex his doloribus & periculis: nullum das bonæ spei signum: Sed quasi nullam amplius curam ageres mei, subducis te ex meo conspectu.* p. 371. & p. 373. *Non sentio aliquod levamen aut solatium, quod animum tranquillum reddat.*

§. VIII. Sed privatio illa aut carentia sensus bonorum spiritualium otiosa non est, ac potius cum actibus variis, naturæ humanæ adversis aut molestis conjuncta. Nempe sicut status ipsius damnationis ex parte intellectus importat cognitionem ejusmodi, quâ homo DEUM cognoscit quidem ut Dominum summæ Majestatis, sed à se gravissimè offensum; ut judicem severum, sed ideò peccatorum suorum vindicem rigidissimum & irreconciliabilem; se ipsum quoque cognoscit, ut mali istius & contractæ iræ divinæ causam, per peccata videlicet, quorum atrocitas & multitudo obversatur animo: sic præ gustus damnationis importat analogam quandam cognitionem DEI & sui ipsius, quâ homo nondum quidem in termino constitutus, tamen in via ad terminum tendens, DEUM ut à se offensum sibi que infensum cognoscit, seque adeò ut peccatis maculatum & obrutum, suæ miseriæ auctorem, rejectum ideò à DEO aut desertum, neque in gratiam recipiendum, intuetur, jamque futuræ plenioris infelicitatis velut imaginem quandam contemplatur. Sic Jobus cap. XXX. v. 20. & 21, *tanquam in inferni flammis constitutus* (ut B. Brentius

B

an-

annotat) DEUM ipsum alloquens queritur. *Clamavi ad te, & non exaudis me, steti coram te, & non animadvertis super me, mutatus es mihi in crudelem, robore manus tua adversatus es mihi, quæ verba Joh. Oecolampadius in Exegematibus suis ita παραφρασεις: Non solum preces mea non mitigant, sed etiam exasperant te, ita ut crudeliter ac ἀνελεημένως in robore manus tua, id est, ut Græcus vertit, χερσὶ neglectica, manu valida, adversarium te mihi prabeas, me percutiendo ac flagellando. Et sic non solum, licet miserrimus sim, apud te misericordiam non invenio, sed etiam pessimè tractor. Quod autem ad actum intellectus, quò homo ad seipsum reflectitur, attinet, dicitur 1. Joh. III. v. 21. hominem à suo corde condemnari; quatenus videlicet, qui malè sibi conscius est, proprio animi sensu reus agitur & iudicio divino obnoxium se agnoscit. Quemadmodum enim illatae per discursum conclusiones practicæ fugere jubent scelera jure superioritatis, quod DEO convenit, sic & transgressores accusant, & reos peragunt iræ DEI sive poenarum à DEO infligendarum. Atque hæc fiunt etiam in illis, qui in terris superiorem non agnoscunt, intus tamen, & apud animum suum sunt convicti, quòd DEUM ob violatam ejus legem immutabilem habeant iratum, & cum jam extra calamitatum tela positi sint, serò tamen & vel post hanc vitam experturi sint scelerum vindicem severissimum.*

§. IX. Porro sicut status damnatorum præter cognitionem intellectus importat etiam ex parte voluntatis ipsorum fugam quandam aut averfationem DEI, tanquam sibi infensi & implacabilis, odium quoque sui ipsorum, & hinc nascentes angores & moerores gravissimos: sic prægustus damnationis in hac vitâ importat in voluntate hominis fugam quandam DEI irati, aut saltem horrorem quandam, quem consideratio & quasi aspectus DEI irati animo hominis incutit: nec minus indignationem adversus seipsum, aut quasi luctam quandam cum semetipso, certè anxietatem animi, tristitiam ac dolorem singularem. Huc respiciunt verba Davidis, quibus miseriam suam è quâ jam tunc quidem fuerat eluctatus, describit Psalm. XXXII. v. 4. die ac nocte gravis fuit manus tua super me, aut ut Rivetus interpretatur: *Manus tua, qua piis est medica, qua sublevat ad se venientes, opprimit fugientes, quibus plumbea est suâ gravitate, ferrea suâ duritie &c.* & B. Geierus: *Castigatio tua instar oneris plumbei, me de-*



deprimebat quotidie magis ad inferni abyssum. Atque his respondent verba Psalm. XXVIII. v. 3. *Sagitta tua (Deus) descenderunt in me, & descendit super me manus tua: ubi David DEUM quasi venatorem facit, qui ipsum velut feram persequatur & configat; uti J. Tarnovius annotat & verba ipsa sic exponit: Nam sagitta tua h. e. omnes plaga abs te immissa, imprimis autem pavores & vulnera conscientiae ac terrores iudicii tui severi, qui non secus ac sagitta cor ipsum velut transverberant, alie defixa sunt in me, ut vix pro humano arbitrati certe evelli posse videantur: stimuli peccati, & lex accusans me ferè exanimant, ut quum aliquis planè confosus vix spiritum ducit; & demisisti super me manum tuam, qua me adeò premit, ut quo me vertam, nesciam.* Quod autem porro attinet ad indignationem hominis, damnationem prægustantis, adversus se ipsum, ut causam miseræ suæ per peccata; rursus David suo exemplo nos docet, cum l. c. Psalm. XXXIIX. v. 5. inquit: *Iniquitates meae transcendunt caput meum, sicut onus grave graviores fuerunt præ me. Computruerunt & factent livores mei, propter stoliditatem meam.* Ad quæ verba B. Geierus sub persona Davidis: *propter imprudentiam ac negligentiam meam circa salutem animæ, patior nunc tantos cruciatus, cum morsum peccati non satis perpenderim ac devitaverim; ferè sicut fatuus, cum scorpione vel serpente ludens, propriam incusare cogitur stoliditatem, si ab eodem sauciatus immanes postmodum cogitur sufferre cruciatus.* Ecce hominem secum exoptulantem aut litigantem! Ipsam vero tristitiæ ac doloris magnitudinem & anxietatem animi declarat Psalter quando Psalm. XVIII. v. 5. memorat terrores, quos torrentes Belial ipsi incusserint; ita ut iidem esset in pavorebus, in quibus sunt, qui vel ob scelera undis suffocantur, vel naufragium faciunt, vel qui fluctibus & torrentibus ex improviso obruantur: interprete B. Gesnero. Sic enim & verbum **תַּרְסֵנִי** perterrefacit, aliàs etiam de vehementi consternatione & anxietate usurpatur Jes. XXI. v. 4. ubi Propheta: *Errat, inquit, animus meus, horror perterrefacit me; crepusculum desiderii mei, (mihi desideratissimum) disponit in trepidationem mihi; id est: Ne ipsam quidem noctem, humane quieti attributam & mihi optatissimam, sinit quietam esse: sed noctes æque ac dies abutitur me, ut durissimus dominus mancipio abjectissimo; cujus sola recordatio ita animum afficit, ut*

rotas etiam noctes cohorrescam; prout affectus illius faciem depingit Fr. Junius in Notis: & aculeos similis terroris expertus est *HAMAN*, consternatus ob faciem Regis fremebundi, ideoque metuens vitæ suæ, cum vidisset destinatum esse contra se malum à Rege. Esth. VII. v. 6. 7.

§. X. Pertinent itaque ad istum damnationis æternæ prægustum, quæ aliàs de Conscientiâ malâ, ejusq; moribus, flagellis, lancinatione, tormentis, traduntur. Mala enim illa conscientia, (quæ à quibusdam *damnans* dicitur, ut distinguatur ab *hebetata*, quæ cessat dictare, quod rectum est, itemque ab *erronea*, quæ dicitur quidem aut judicat, sed non rectè) reddit hominem *αυτοκατακροστον*, juxta Ep. ad. Tit. III. v. II. & spectat huc illa *καταγνωσις τῆς καρδίας*, *condemnatio cordis nostri*, cujus Johannes I. Epist. III. 25. mentionem fecit, & h. l. §. VIII. de ea actum est. Sed nunc porro notandum, quomodo cum mala conscientia, quæ formaliter ad intellectum pertinet, motus aliqui & inquietudo sc. anxietas voluntatis conjungantur; ut, ubi alii in mediis turbis & calamitatibus externis tranquille degunt, ipsi, quibus malorū conscia mens est, vel in ipsa pace variis agitentur furiis, & sit *afflictio & angustia* (*στυγχερεια*, quâ laborantes, velut angusto inclusi spatio locove incommodo, nesciunt quorsum se conferant, aut ad inopiam consilii rediguntur, & angorem aut contractionem animi sentiunt,) *adversus animam hominis perpetrantis malum*, juxta verba Pauli Rom. II. 9. Ac statum quidem illum etiam graphicè depingit Bernhardus Medit. I. Cap. XIII. p. m. 1060. *In domo propria, ait, & à propria familia habeo accusatores, testes, judices, & tortores. Accusat me conscientia: testis est memoria: ratio Judex: voluptas carcer; timor tortor: oblectamentum tormentum. Quotquot enim fuerunt oblectamenta mala, tot erunt tormenta dira in pœna. Nam inde punimur, unde delectamur. Et lib. de Consc. ad quendam ordinis Cisterciensis cap. IX. p. m. 1112. Conscientia mala contristat animam, eamque DEO exhibet immundam, Angelis & hominibus scdam & sibi ipsi turbatam & inquietam. Nulla enim pœna major est malâ conscientiâ. Omnium siquidem delictorum nostrorum ipsa testis, ipsa Judex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa judicat, ipsa punit, ipsa damnat. Lutherus quoque im Drost-Brieff ad Lipsienses Confessores inquit Tom. VI. Altenb. fol. II. sub finem: Leid über alles Leid*



(II)

Leid ist das Herzeleid / das ist / ein böse Gewissen. Denn ein böse Gewissen ist die Hölle selbst. Et D. Chytræus lib. de M. & V. Æ. P. II. sub finem: *Conscientia mala angores, formidines ac cruciatus fœvissimos sine ulla intermissione ardentis & excarnificantes impios in hâc vita & tota æternitate, Christus phrasi ex Esa. LXVI. sumpta Vermem non morientem appellat Marci IX. Additque post paulo seqq. Condidit enim Deus ipse in natura hominum hunc ordinem, ut in mente luceant notitiæ legis, gubernatrices actionum, approbantes rectè facta, & condemnantes scelera, ac in voluntate & corde sint motus lætitiæ ac tristiæ notitiis congruentes. Et vectorum consiliorum ac factorum conscientiam tranquillitas cordis sequatur. Delicta autem & scelera comitetur tristitia, dolor, formido, confusio, tremor, fuga, & consternatio animi perpetua, ut sint vindicæ & pœna scelerum, & (NB.) testes de futuro iudicio & inferorum pœnis, quorum summus gradus hic conscientia morsus scil. vermis non moriens futurus est.*

§. XI. Cæterum non insolens est, homines in hunc statum prægestus damnationis coniectos apparitionibus malorum dæmonum aut spectrorum variorum, seu sensui externo reverà occurrentibus, seu phantasiæ quomodocunq; representatis spectaculis illis terribilibus, affigi; vocibus quoq; malorum gravissimorū, imminētisq; mortis aut damnationis, nuntiis terreri; aliquando sibi videri ipsos ignis infernalis dolores & cruciatus in corpore suo experiri. Sic Baronius Tom. XII. Annal. ad A. 1100. refert historiam Presbyteri fornicarii mirabiliter postea vexati & clamantis: *En! en! ignis de Cælo, ut torrens inundans descendit, & super hunc lectum meum veniens, jamjam me in favillam usque comburet. Et rursus Ab! Ab! ad iudicium æternum raptus sum. Et heu miser, æterna morte damnatus sum. Traditus sum horrendis tortoribus, igne inextinguibili cum diabolo & angelis ejus perpetuò cruciandus. Esce, ecce, ignis sartago plena bullienti adipe, quam coram me tormentorum ministri detulerunt, eamque ad me frigendum undique succenderunt.* Sic etiam Crescentio, Legato Pontificis & partes Domini in Concilio Tridentino acriter agenti, cum literis scribendis in multam usque noctem vacasset, ac surgens quieti se daturus esset, visus est canis quidam ater inusitata magnitudine, flammantibus oculis, auribus ad terram prope demissis ingredi, & ad ipsum re-

B 3

Età

Et à contendere, deinde sub mensam dilabi: unde percussus & obstupefactus Crescentius ubi demum se collegit, famulos inclamat, qui erant in anteriori cubiculo, jubet afferri lumen, & investigari canem. Cum autem nusquam appareret, ne in vicino quidem conclavi, gravem concepit cogitationem & in morbum incidens Verona decessit. Moribundus etiam subinde suis acclamasse fertur, ut canem qui lectum conscenderet, arcerent. Vid. Sleidanus lib. XXVIII. Comment. de Statu Relig. & Reip. De Jacobo Latomo quoque memorant Fincelius, & ex eo Wolffius L. II. Rer. Memorab. Cent. XVI. p. 667. quod cum officio inquisitoris hereticæ pravitatis, ut loquuntur, aliquandiu functus, denique in desperationem incidisset, seque in Spiritum S. peccasse, peccati verò condonationem sperare non posse, sed diaboli & corpore & animâ aeternum mancipium, adeoque jam in regnum ejus incorporatum esse professus esset; hoc simul adjecerit: Quin imò Latomum haut porro ut hominem intuemini, sed ut ipsum diabolum, & si aperientur vobis oculi, manus pedesque meos tetrus unguibus deformes & formidabiles esse deprehenderitis. Quæ & plura cum dixisset, inter horrendos mugitus mortuum fuisse, eamque oris ejus, totiusq; corporis apparuisse fœditatem, ut omnibus esset terrori.

§. XII. Imò verò etiam, quando non accedunt spectacula ejusmodi & casus externi horribiles, fieri tamen potest & solet, ut animâ pœnas infernales prægustante, corpus in participationem doloris pertrahatur: prout in prægustu beatitudinis, cum animæ benè est, corpus in societatem felicitatis aut voluptatis suo modo pertingit. Sic David Psalmo XXXVIII. v. 4. lamentatur: Non est integrum in carne meâ propter iram tuam: non est pax ossibus meis propter peccatum meum. & v. 7. Incurvatus sum, inclinatus vehementissime, omni die ambulo pullatus. & v. 8. Quoniam ilia mea plena sunt ardore: & non est integritas in carne mea & v. 9. Debilitatus sum, & attritus vehementissimo; rugio præ fremitu cordis mei. & v. 11. Cor meum palpitât, derelinquit me vigor, & lux oculorum meorum, etiam ipsi non sunt mecum. Quæ omnia huc redeunt, quòd ordinaria humorum in corpore sano harmonia viriumque perfecta constitutio prorsus in ipso sit perturbata, imò ablata, omnia in ipso flaccida, confusa, misera; quòd exquisitos atque intimos in ossium quasi medullis patiatur cruciatus, ac proinde viribus quo-



quotidie privetur, interitui proximus. Quod externo etiam gestu suam prodere cogatur animi velut desperabundi dejectionem. Quod non solum cor, quod anima sedes actionumque vitalium principium, non solum virtus ipsius, seu vires corporis, sed & oculi, ceu principium corporis membrum sensusque nobilissimi organa, affligantur in hâc suâ passione vehementissimè, & ob spirituum defectum adeò caligent, ut lucem ferre nequeant: Quæ B. Geieri super verbis istis meditationes sunt in prælect. Conf. Psalm. VI. v. 2. & 7. ubi David queritur se debilem esse factum, DEO ipsum arripiente & corripiente. Territa sibi esse ossa; laborasse se in gemitu suo, natare fecisse omni nocte lectum suum, lacrymis suis stratum suum se liquefecisse. Et Psal. XXXII. v. 3. dissimulante sibi sua peccata, inveterata esse ossa in rugitu suo; dumque manus DEI super ipsum aggravatur, versum esse virorem suum in siccitates aestatis. Rursus Psal. CII. v. 4. 5. 6. ossa sua tanquam focum exusta esse; percussum esse se velut herbam, & exaruisse cor suum, quia oblitus sit comedere panem, à voce gemitus sui adhaesisse os suum carni sua. & v. 12. se sicut herbam arefcere. Nempe si alias Spiritus tristis exiccat ossa; Salomone teste, Proverb. XVII. v. 22. & Lirano annotante, tristitia est passio mortificativa: si aegritudo animi tabem, cruciatum, afflictionem, seditatem affert, lacerat, exest animam, planeq; conficit, juxta Cic. lib. III. Tuscul. QQ. Si Belsazar Rex, hilaritati in convivio deditus, videns partem manûs, quæ verba quædam in tectorio parietis palatii Regii scripserat, ita territus fuit, ut facies ejus commutaretur, cogitationes ejus conturbarent eum, & compages venum ejus solverentur & genua ejus ad se invicem colliderentur. Dan. V. v. 5. 6. Quidni tristitia ex acutiore sensu iræ divinæ, & metu summi mali æternæque miseriæ proficiscens, unâ cum animâ etiam corpus afficiat, & in aegritudinem, languorem doloresque conjicere, aliquando & mortem accelerare possit?

§. XIII. Et sic etiam patet, quòd prægestus damnationis non semper tacito se pectore contineat, aut solâ aegritudine corporis sese exerat; verum etiam, sicut cum lacrymis, querelisque ingentibus & prolixis, ita aliquando etiam cum actibus aliis internis pariter & externis conjungatur; qui cum ipsius prægestus jam coepti fructus aut effectus esse videantur, reverà tamen novam talium angorum materiam suppeditant, sic ut homines illi, vel ex his ipsis actibus tanquam
signis

signis, se inferno proximos, aut jam in ipso inferno esse, colligant, sibi que persuadeant. Quod ad lacrymas attinet, David ipse II. cc. præsertim Psal. VI. v. 7. exemplo est. Quoad actus alios observanda sunt cogitationes, & nonnunquam sermones externi blasphemii, quales quidam homines de se confessi ac de illis conquesti, vel qui ab aliis auditi & cogniti fuerunt. Jobus sanè huc vulgò refertur, qui Cap. XII. 3. Cap. XIX. v. 22. 23. Cap. XXVII. 1. expostulet cum DEO eumque injustitiæ arguat: & recentiora tentatorum quorundam exempla, qualia à Selneccero Luthero & Stephano Prætorio memorata repetit, sibi que suo tempore plura occurrisse testatur B. Christoph. Brunchorst P. II. *Christl. Vorstellung von Geisll. Anfechtung. Quere-lâ XVII. p. 239. sqq.* Johannem vero Minerium, Judicii & Senatus Aquensis in Gallia summum præfectum, Waldensium persecutorem acerrimum, inter horrendas in Christum blasphemias animam efflasse, ex Pantaleontis Historia rerum in Ecclesiâ gestarum recenset Christ. Matth. in Theat. Hist. pag. 1078.

§. XIV. Sed nunc paulo distinctius dispiciendum est, quinam sint, qui prægustum damnationis experiantur: homines videlicet viatores, peccatores, usu rationis pollentes. Qui enim expleto vitæ cursu ad terminum pervenerunt, non tam prægustum damnationis, quam damnationem ipsam sentiunt: & quemadmodum damnatio peccati consequens & pæna est, ita in statu innocentiae prægustus damnationis locum non invenit. Sed cum, post lapsum Protoplastorum, homines carnaliter geniti omnes sint peccatores, nec tamen æquè omnes poculum istud amarum gustent, de ratione discriminis videndum est. Nempe peccatores alii per conversionem aut regenerationem fideles facti & in gratiam à DEO recepti; alii extra statum gratiæ relictæ aut è statu gratiæ, in quem jam collocati semel iterumque fuerunt, rursus ejecti & iræ diviniæ subiecti sunt: fatendum verò est, neutram classem à damnationis prægustu planè esse exemptam, aut quoad omnia, quæ continet, individua ei obnoxiam. De impiis, infidelibus, & impœnitentibus è quidem mirum non est, si his subiecti deprehendantur adversitatibus, quando alias pronunciat DEUS, *impios non habere pacem* Esa. LVII. v. 25. Certe multa præstò sunt exempla eorum, qui spretâ lege diviniâ, monitisque & comminationibus sæpè propositis, serò tamen, velut è somno expergefacti, antequam



quam inorerentur, prægustasse damnationem visi fuerunt: Quam in rem Lutherus Tom. V. Altenb. fol. 1239. a. scribit. *Es gehet mit den Gottlosen die Hölle an in diesem Leben.* Ac persecutoribus purioris doctrinæ talia accidisse, ex antea dictis constat. Ex adverso autem fatendum est, non paucos imò magnam improborum hominum catervam in ipsâ securitate carnali, neque quicquam infernalium plagarum cogitantes aut metuentes, perseverante statu indurationis, ac cæcis velut oculis in infernum descendisse, eo ferè modo quo dives epulo Luc. XVI. legitur mortuus primùm ac sepultus, jamque infernalibus tormentis subiectus, tunc denique sustulisse oculos.

§. XV. Utrum vero prægustus damnationis etiam capaces sint illi, qui à religione Christiana penitus alieni sunt v.g. Gentiles, Judæi, Muhammedani? in quæstionem vocari solet. Sunt qui existimant, illos, qui gratiam Evangelicam nunquam gustârunt, damnationis quoque prægustu carere, quippe qui subtractione specialis gratiæ Evangelicæ jam antea perceptæ importet, prout privatio supponat habitum in subiecto præexistentem. Ac si prægustus damnationis hoc strictiore sensu accipiatur, res clara esse ac difficultate carere videtur. Quemadmodum autem dari statum animæ post mortem, ubi bonis bene sit, malis malè, etiam ex lumine naturæ quodammodo constat, ac de pœnis Inferorum Poëtæ & Philosophi Sacerdotesque, Gentilium Theologi, varia protulerunt, fabulosa quidem non parum, sed ubi verum aliquid subesset, atque ipse consensus omnium in asserendis pœnis infernalibus vim quandam ac robur haberet; sic negari non potest, prægustum quoque damnationis aliquem ab illis agnitum fuisse, qui morsus exulceratæ conscientiæ, furiarumque exagitationes & vexationes in hâc vitâ locum habere tradiderunt: quâ ratione Tiberium ipsum huc referre licet, qui in Epistola ad Senatum sub vitæ finem? *Quid scribam vobis, ait, Patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam, hoc tempore? Dii me Deaque pejus perdant, quàm quotidie perire sentio, si scio.* apud Suetonium in vita Cap. 67. p. m. 373. & Tacitum Lib. VI. Annalium Cap. 6. qui mox subjicit: *Adeo facinora atque flagitia ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustra præstantissimus sapientia (Platonem respicit Lib. IX. de Rep.) firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici lan-*

us & iustus; quando ut corpora verberibus, ita sensitiva, libidine, malis consultis, animus dilaceretur. Quippe Tiberium non fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris suasque ipse penas fateretur. Neronem quoque, post interfectam matrem, ejus specie continuo & verberibus tædisque furiarum vexatum, ut nullo loco tutus consisteret, scribit in vitâ ejus Dio Casius.

§. XVI. Quemadmodum autem prægustus damnationis specialiore quodam sensu inter species tentationum spiritualium referri solet, sic in homines fideles eum cadere, facile intelligitur; & exempla Jobi, Davidis, Pauli, aliorumque, quæ memoravimus, ostendunt. Neque à vero alienum est, quòd homines fideles, ac pios, Deoque dilectos malum hoc experiri diximus, quando illos peccatum, quòd ex se dignum est ipsa damnatione, in se habere cogitamus. Et ex infra dicendis patebit, quomodo diligentibus Deum etiam hoc, quicquid est mali, cedat in bonum. Actus etiam illi, si qui intercedunt, *ἀνομοί* v. g. cogitationum & sermonum adversus Deum contumeliosorum, aut blasphemorum, quibus tentati per vires gratiæ resistunt & ab illis liberari cupiunt; quamvis in se DEO placere non possint, non tamen hominibus illis in culpam aut pœnam imputantur, cum non sit *κατὰνέμω τῶς ἐν χερσὶ Ἰησοῦ*, Rom. VIII. 1.

§. XVII. Sed nec de Christo multum difficultatis superesse videtur, quem supra §. V. diximus & ipsum quoque *gustasse dolores infernales, fuisse autem plenè sanctum, purum, impollutum & segregatum à peccatoribus.* Nempe eum, qui non noverat peccatum, *DEUS pro nobis peccatum fecit*, juxta illud Pauli II. Cor. V. 21. Et ipse *agnus DEI bajulavit peccata mundi*, Joh. I. v. 29. Subiit ergò, sicut plurima mala corporis, mortemque ipsam, tanquam pœnam peccati, ita etiam angores animæ gravissimos, nullam sentiens à divina natura humanæ conjuncta & indissolubiler inhabitante consolationem; sentiens autem iram Dei, sibi, peccatorum omnium vicem sustinenti, velut incubantem, quâ prematur ac terreatur anima mœstissima, saccusque & sanguis penè omnis exhauriatur. Atque hic etiam prægustus damnationis *χωρὶς ἀμαρτίας*, omnisque peccaminosæ imperfectionis expers in Christo fuit, quem certum est, neutiquam obmurmurasse Deo, neque fiduciam in eo ponendam exuisse, quem potius



tius in ipso angoris actu, ut Deum suum, iteratâ vice allocutum no-
vimus. Quamobrem etiam quæ ex Johanne Fero supra §. V. adducta
sunt, cum grano salis accipi debent, quando *desperationem* Christo
propriè loquendo tribui non posse fatendum est: & Cornelium à La-
pide istud asserenti Calvino non sine ratione vitio vertisse, aliàs con-
stat. Sed nobis hîc quidem prægustus damnationis non tam quate-
nùs in Christo médiatore locum habuit; sed quatenùs in homines
peccatores cadit, spectandus est, ut jam antè monuimus.

§. XVIII. Cæterùm non sine causa illud tunc addidimus §. XIV.
homines eos, qui usu rationis pollent, huic adversitati esse obnoxios.
Illa enim, quæ jam antè, quoad actus intellectus & voluntatis huc
spectantes diximus §. VIII. seqq. utique usum rationis in homine da-
mnationem prægustante supponunt: neque v. g. homo irreginitus,
atque adeò extra statum gratiæ positus, damnationis sensum percipit,
nisi ad se reflexus, esse se extra statum gratiæ, & habere Deum iratum
deprehendat. Unde non solum infantes hîc excludimus, verùm et-
iam maniacos aut phreneticos, qui cum alia mala tristia & horribilia
nonnunquam experiantur, tamen, pro suo illo statu, damnationis
prægustum propriè loquendo non capiunt: quamvis, quæ phrene-
ticis aliquando accidunt, cum his, quæ alii subeunt, quibus integra
ratio est & Satan tentator ludos infernales facit; similitudinem
quandam, quoad ea, quæ extrinsecùs apparent, habere posse & solere
non negemus.

§. XIX. Melancholicorum verò, in quibus superest usus ratio-
nis, alia ratio est. Hi enim, quò magis ex vi temperamenti in profun-
das cogitationes ac mœrorem propendent, & ad recipiendas species
undecunque oblatas magis dispositi sunt; hoc faciliùs perducuntur ad
prægustum amari damnationis poculi, & nonnunquam diutiùs in eo o-
pere perseverant.

§. XX. Denique de his etiam, qui naturâ muti & surdi sunt,
impræsentiarum disquiritur; utrum istud mali ipsis obtingat? annon?
Nam quamvis illos, sicut fidei & gaudii spiritualis speique adeò &
prægustus vitæ æternæ capaces esse, per signa quæ ipsi de se præbent,
constat; ita & subtractionis gratiæ, aut sensûs ejus, tristitiæ etiâ spiritua-
lis & metûs aut horroris inferni non incapaces esse, concedendum fit;

dubitatum tamen fuit à quibusdam, anne divinæ bonitati consentaneum sit, eos, quos ipse tales condidit, ut externis allocutionibus & solatio subvenire illis alii non possint, in istam conjicere miseriam & periculum tam grande, unde, qui solatii uberioris, ex verbo Dei petendi, mediis consuetis destituuntur, nonnisi difficillimè eluctentur? Sed bene est, quod iidem ita mox sese explicant, ut disjunctivè sententiam suam exprimentes, *videri sibi dicant, quòd Deus vel omninò iis, quoad spirituales illam tristitiam aliis immitti solitam, parcat; vel si in illos hac ratione animadvertere aut vulnerare eos velit, ipse rursus eos obliget ac sanet; internis per Spiritum S. consolationibus supplens defectum prædicationis aut informationis externa.* Vid. Israël Murschelius in Vespera Cap. I. pag. 14. & 15. Imò neque negandum est, hominibus illis naturâ surdis ac mutis, sicut ad concipiendam fidem, signa externa, quæ in oculos incurrunt, mediolorum instar serviunt: (vid. Dn. D. Præses in Tract. Germ. Gründl. Erweisung und Bertheidigung der reinen Lehre wider die Quäker §. LIII. p. 112. 113.) ita ad recuperandum sensum fidei, in casu gravioris tristitiæ spiritualis & prægustus istius damnationis, per signa externa suo modo subveniri posse: ut Dei ista operatio, quemadmodum semen fidei in corda non planè αἰέτως insperfit, sic neque omninò immediatè illis in casu tentationis sensum fidei restituat. Sed hæc ὡς ἐν παραβολῇ.

§. XXI. Nunc proximum est, ut postquam prægustum ipsum damnationis, & prægustantes damnationem homines vidimus, in originem prægustus illius paulo sollicitius inquiremus; velut qui flumen aut rivum atque accolæ contemplati, ad fontem ascendunt. Itaque primum quidem ex parte ipsorum hominum occurrunt peccata, quæ sicut suâ naturâ digna sunt morte & damnatione; ita eorum intuitu etiam in hâc vita subtrahi potest & solet gratia spiritualis, quæ animum recreat & prægustum vitæ æternæ largitur, ut simul ex adverso oriatur carentia bonorum spiritualium, & metus aut horror malorum oppositorum imminentium aut præsentium. Imò huc pertinet quod supra vidimus, θλίψιν καὶ στενοχωρίαν, afflictionem & anxietatem venire super animam hominis perpetrantis malum, Rom. II. 9. morsus etiam conscientiæ, quibus homines cruciantur, non aliunde oriri, quam quòd peccata patrata ipsa quoad suam culpam & reatum homini



mini ante oculos versentur; dumque eorum cum natura rationali disconvenientiam, gravitatemque offensæ supremi legislatoris ac iudicis, indeque indignationis atque iræ divinæ magnitudinem contemplantur homines, sic in illis anxietatem, dolorem, metum ac tristitiam excitari.

§. XXII. Sed hic peculiariter observandum est, quod non tantum peccata externa & atrociora, contra conscientiam & ex proæresi commissa, qualia Davidis & Manassis erant; verum etiam quæ ab ignorantibus committuntur, qualis erat persecutio fidelium, à Paulo ante conversionem admissa, 1. Tim. I. v. 13. imò ipsum peccatum originis, & peccata quæ vocantur *infirmittatis*, aut phrasi Tertullianea *quotidiana incurvationis*, prægustui damnationis originem præbere possint, & quandoque soleant. Nam & peccata, quæ jam remissa sunt à DEO, intercedente pœnitentia & fide, sicut tamen homini subinde recurrat in mentem, sic affligere possunt, ac deficiente sensu gratiæ obtentæ, possunt horrorem insignem atque infernalem in animo tentati excitare: prout exemplo Davidis, cui jam Deus per Nathanem annunciari iusserat remissionem peccatorum, ipse autem nihilominus questus est, *peccatum suum esse coram se semper*, Psal. LI. v. 5. non obscure constat.

§. XXIII. Sed quemadmodum Paulus I. Cor. XV. 56. cum dixisset *aculeum mortis esse peccatum*, statim addidit; *potentia verò peccati Lex est*: scilicet quod Lex peccatoribus maledictionem mortemque & damnationem denunciat, ipsosque condemnationi subjicit, ideoque *diavola & Javda's ministerium mortis* dicitur, II. Cor. III. v. 6. sic Legem aliquid conferre ad prægustum damnationis, facile intelligi potest. Ut autem plenius intelligatur, sciendum est, quod Lex Dei, velut adæquata norma & regula actionum omnium & totius vitæ humanæ, non solum per naturam implantata, verum etiam peculiari revelatione, post lapsum protoplastorum & corruptionem generis humani solenniter repetita & promulgata; prout accuratam omnium facultatum animæ singularumque & omnium actionum *εὐταξία* & conformitatem cum creatura rationali, ut tali, tum in ordine ad Deum, tum in ordine ad se ipsam, tum in ordine ad alios homines severè exigit, idque auctoritate & nomine summi Numinis,

minis, cujus infinita Majestas est; ita eadem illa Lex transgressoribus certam & horrendam iram Dei vindicis denunciaret. Præterea observandum est, quòd Deus Legi huic suæ, tanquam verbo suo, vim suam divinam, quæ infinita est, ita conjunxerit, ut non solum intellectui humano peccatorum foeditatem & pœnas promeritas, seu mala hujus & alterius vitæ, cognoscenda exhibere, sed & corda in peccatis obdurata, instar *mallei petram conterentis*, contere, seu animis, quibus peccata sua hætenus placuerunt, terrores graviores incutere, adeoque excusam securitate carnali, & libidine peccandi extinctam, displicentiam peccatorum doloremque acriorem excitare queat. vid. Jerem. XXIII. 29. Dum autem hæc fiunt, oritur sanè in homine non solum cogitatio de pœnis infernalibus, sed & metus ac horror earundem, ita ut ipsa ista mala homo quodammodo præsentiscat.

§. XXIV. Solet autem istud contingere, non solum quando homini peccatori operam ministrorum Ecclesiæ peculiariter annunciat, aut quando ea scripto exhibita ab ipso legitur atque expenditur, & hæc ratione ipse ut peccato sic maledictioni Legis & iræ divinæ obnoxius esse convincitur; verum etiam quando homo, cui Lex quodammodo per naturale lumen intellectus cognita, & velut implantata est; alias autem fortè per prædicationem doctrinæ in Scripturis Sacris contentæ, paulò plenius instillata, interim verò notitia illa, intercurrentibus peccatis, aliquandiu obliterata fuit; immisso quodam infortuniò casive adverso v. g. morbo, vulnere, ignominia, jacturâ opum, aut periculo qualicunque, percellitur; inhibito peccatorum cursu, aut quasi turbato somno, ut in se descendat, movetur, unde agnitis peccatis, ex vi Legis, hætenus velut sub cineribus latentis, flamma ista exoriri, & ipsas medullas animæ, ut sic loquar, adurere potest.

§. XXV. Quemadmodum verò alias ad tranquillandam hominis peccatoris mentem, & prægustum vitæ æternæ gaudiumque spirituale excitandum, non obstante maledictione Legis, fides in Christum & hinc nata cognitio Dei, tanquam reconciliati, propitii ac vitam æternam donaturi &c. adjumento est, ac sufficit: ita ex adverso Lex suam maledictione prægustum damnationis tunc parit, quando mens hominis in eam intenta, vel ignorat meritum mediatoris Christi ad de-

declinandam Legis maledictionem fide apprehendendum, vel ad se pertinere nescit, vel si maxime hæc aliàs cognoverit, nunc tamen vehementius turbata & consternata, aut negat, aut in dubium vocat, aut saltem quòd credat, in se ipsa non deprehendit, luctam potius in se aliquam sentiens, quam *πληροφωρίαν* fidei; ut adeò Lex interim terrere, Deique irati minas & fulmina exhibere non desinens, hominem damnationi vicinum reddere possit.

§. XXVI. Quibus stantibus jam ulterius cognoscendum est, an aliquid? & quidnam? Satanæ tanquam Auctori istius prægustus damnationis tribuendum sit. Certum est, Diabolum, qui *tanquam leo rugiens circumit, quærens, quem devoret*, I. Pet. V. v. 8. prout ipsam damnationem nostram quærit, sic non rarò conari, si quos jam in hac vitâ secururæ damnationis sensu affligere possit. Et quia novit, alios per securitatem carnalem, alios agnitis peccatis per desperationem posse ad interitum pertrahi; sanè mirum non est, si eis, quos conscientia expergefata à carnali securitate abstrahit, objectâ malorum infernalium specie persuadere nitatur, quasi jam damnati, aut saltem in limine damnationis constituti sint, sic illos desperabundos tantò certius damnatum iri, & sibi socios fore, persuasus. Atque huc pertinet, quod supra diximus, Davidem Psal. XVIII. conquestum esse, quòd *torrentes Behem* ipsum terruerint: & Paulum II. Cor. XII. quòd *angelus Satanæ colaphis ipsum ceciderit*: ac præterea constat, quam sæpè de *telis igneis* Satanæ ex Eph. VI. v. 16. verba faciant, qui doctrinam de tentationibus spiritualibus exponunt. Eodem pertinet, quod §. XI. indicavimus, aliquando Satanam ipsum horribili specie apparere, ac terrere hominem tanquam sibi subiectum, & regni sui incolam aut mancipium factum vel futurum. Cogitationes quoque illæ impiæ ac blasphemæ, quæ in actu tentationis constitutis, atque invitis, in animo oriri solent, suggestionibus Satanæ vulgò tribuuntur: multò magis autem, si verum odium Dei, si blasphemia atrocior ac desperatio plenior compareat, Satanæ auctori adscribi solet, eum in modum, quo *Satanas Judæ in cor immisisse* scribitur, *ut proderet Jesum*, Joh. XIII. v. 2. & *in filiis incredulitatis ipse òυεργωv* efficaciter operans dicitur. Eph. II. 2.

§. XXVII. Imò verò & quando Lex divina, ejus usus elench-
ticus.

ticus in peccatorum manifestatione & redargutione consistit, hoc officio suo fungitur; (quod homini, si accedat & sine impedimento quod suum est agere possit Evangelium, utile est & *pœnitentiam ad salutem non pœnitendam parit*, II. Cor. VII. 10.) Satanas eò sæpè abutitur, & sicut ab Evangelicarum promissionum meditatione, & applicatione ad propriam personam, abstrahere hominem conatur, ita non desinit, quoad potest, maledictionem Legis exaggerare, inculcare, & velut irrevocabilem summi judicis sententiam urgere; quam in rem B. Lutherus morem illum, quem Satanas observat, declaraturus, in lib. de *Missa privata & Unctione sacerdot.* T. VII. Witteb. Lat. fol. 228. seqq. scribit: *Non mentitur Satanas, quando accusat & urget magnitudinem peccati: Ibi enim habet duos inconvincibiles graves testes, Legem DEI & nostram propriam conscientiam. Non possum negare, me peccasse, non possum negare, quòd reus sim mortis & damnationis &c. Sed ibi mentitur Satan, quando ultrà urget, ut desperem de gratia &c.*

§. XXIX. Ita verò se nobis offert quæstio illa aliàs agitata & vexata: Quomodo Diabolus possit agere in animam humanam? (nempè suggerendo ei has aut illas cogitationes, quæ ad prægustum damnationis pertineant.) Sanè quòd immediatè possit agere in intellectum hominis, non solum imprimendo illi species intelligibiles quoad simplicem apprehensionem, verum etiam determinando ad assensum; assertu difficile est; imprimis, quòd hâc ratione sequi videtur etiam ex parte voluntatis determinatio quædam, & necessitas, indifferentiam seu libertatem ejus tollens, quâ stante, frustra juberemur *resistere Diabolo, ut fugiat à nobis*, Jacob. IV. v. 7. Conf. I. Pet. V. v. 9. Quod autem Satanas, sicut extrinsecus proponere potest & solet objecta, ita etiam per species objectorum ad phantasiam delatas, & mediantibus phantasmatis, intellectum movere possit, ut sic vel aliter judicet, prout res apprehendit per oblatas species, negandum non videtur. Potest enim utique Satanas in ipso corpore humano sanguinem & spiritus animales, qui specierum sensibus receptorum ad phantasiam vehicula sunt, movere, iisque mediante motu translatis, varias causare imaginationes, quibus intellectus à liquidiore objectorum aliàs contemplandorum cognitione abstractus aut impeditus, ita im-



implicetur atque occupetur, ut quò magis fixæ sunt cogitationes quibus objectum triste exhibetur, hoc facilius sequatur ex parte facultatis appetentis similis actus aut motus, & quò magis in appetitu sensitivo excitatur & durat motus aliquis v. g. timoris, aut tristitiæ; eò facilius etiam intellectus recipiat species similes ac receptas fortius retineat. Sed de his nunc non licet agere prolixius.

§. XXIX. Magis operæ pretium est spectare, quasnam in hoc negotio partes Deus O. M. sibi vendicet. Certum est, non esse eum spectatorem otiosum, sed pro diversitate actuum, qui in prægustu damnationis involvuntur, alios quidem efficere, alios permittere & ad bonum finem dirigere. Diximus, Legem Dei, divinâ virtute sibi conjunctâ aut insitâ, contere corda peccatorum, ut dolores angoresque vel gravissimi inde oriantur. Hactenus itaque, quando actus illi non involvunt *avoulav* quandam, Deus per verbum suum ipse in animo hominis dolores istos excitare & efficaciter operari rectè dicitur. Et huc accommodari solet illud Hannæ I. Sam. II. v. 6. *Jehova demittit in infernum.* Quando autem ex parte hominum damnationem infernalem prægustantium occurrunt actus peccaminosi, similes actibus damnatorum, qui ad malum determinati erunt; v. g. odium Dei, blasphemia adversus Deum, desperatio &c. sanè nefas fuerit, eos tanquam opera divina Deo adscribere, aut statuere, Deum suò influxu positivo ac speciali determinare hominem ad actus illos; qui potius vel homini ipsi, vel Satanæ auctori tribuendi erunt. Interim neque hoc negandum est, quòd cum Deus gratiam suam homini subtrahit, quæ actus istos excluderet, & vitæ æternæ prægustum largiretur; cumque Satanæ freena laxat, ut hominem eò quò dictum est modo affligere aut torquere possit; hactenus Deus *in infernum demittere* homines non minùs rectè dicatur, quam cum aliàs Deum homines indurare ipsâque damnatione æternâ plectere, affirmamus. Scilicet hac ratione Deum judicis officiò fungi, & intuitu antecedentium delictorum vindictam suam exercere cognoscimus. Quanquam nec negandum sit, Deum pro diversitate subjectorum, ipsiusque prægustus damnationis, non solum ut judicem, verum etiam ut benignum Patrem agere. Quando enim homines pertinaciter impios & incredulos, quos ideò damnationi æternæ destinavit, jam in hac vita, & sub finem vitæ prægustare damnationem inque hoc statu morientes

D

ad

ad damnationem ipsam contendere jubet, certum est, DEUM justitiâ suâ vindicativâ permotum, atque ad hanc insigniore exemplò declarandam, istud agere. Quando autem vel eos, qui hactenus improbi fuerunt, in terrores istos conjicit, cum adhuc tempus resipiscentiæ mediaque gratiæ & gratia ipsa relicta est; præsertim quando cordibus hõc modò contritis aut emollitis, conversio ipsa actu sequitur; gratiæ potiùs actus ille & castigatio magis, quàm vindicta est. Inprimis verò, quando Deus homines fideles sibique dilectos luctam illam subire jubet, ubi & ipsorum fides & patientia exerceatur, ipsiq; cognitâ suâ infirmitate, ad humilitatem majorem, ad preces ardentiores, ad diligentiorè à peccatis abstinentiam; liberati etiam isthac adversitate ad Deum intensiùs amandum & glorificandum, ad ædificandos alios, & impensiùs desiderandam vitam æternam perducantur: patris potius benevoli illa actio est, quàm severi judicis, præsertim quod & illam afflictionis tolerantiam peculiaribus præmiis remunerari, & post prægustum damnationis æternam gloriam donare Deus decrevit.

§. XXX. Hactenus de prægustu damnationis æternæ ferè populari modo, & quantum ad rem ipsam attinet, disseruimus. Nunc quâ ratione ea terminis Scholæ comprehendi, & juxta genera causarum cæteraquæ, quæ ad ἀνεργασίαν Academicam Theologiæ pertinent, tradi possit, paucis dispiciemus.

§. XXXI. *Causam Efficientem principalem Deum esse dicimus;* physicam quidem in respectu ad actus agnitionis peccatorum & iræ suæ, terrorumque ac dolorum illorum, quos ipse per Verbum Legis in cordibus peccatorum excitat. Respectu eorum autem, quæ aliquando in prægustu damnationis involvuntur, & peccati rationem habent, v.g. odium Dei, blasphemia, desperatio, Deus non est causa efficiens. Non enim influxu suo determinat voluntatem hominis ad eliciendos aut imperandos hos actus; ac propterea non est causa physica eorum. Sed nec moralis causa est, cum non intendat eos sive intentione directâ sive indirectâ. Sanè directam intentionem talium actuum peccaminosorum abesse à sanctissimo Numine, ipsa religio docet. Sed & eâdem mōente, indirectam quoque intentionem eorum Deo tribuere prohibemur. Etsi enim Deus permittat ista fieri, quæ

quæ poterat impedire; sufficit tamen, Deum non-debuisset aut non fuisse obligatum, impedire illa. Et quamvis subtractâ gratiâ divinâ, traditôque homine in Satanæ potestatem, illa contingant, ac Deus præsciverit fore ut contingant, non tamen ideò, quòd Deus actus istos judicarios exercet, ipse etiam ea, quæ cum illis quoqvo modo junguntur, intendisse, & causa eorum esse dici potest, cum non ideò, quòd hæc cum illis conjungerentur, aut inde sequerentur, Deus ad o-mittendos actus suos judicarios obligatus fuerit. Multò minùs, cum Deus, pro sua providentia, fidelibus ac dilectis suis eam subtrahit gratiam, à qua sensus fidei pendet; atque ipsi interim in cogitationes aut querelas incongruas prolabantur, Deus harum causa dicendus est, quas licet permittat, ac velit permittere, non tamen vult ipsas aut intendit, nec producit.

§. XXXII. Sed quia Deus, quicquid in his agit, liberè agit, si de *Causa* aut ratione *impulsiva*, quæ voluntatem ejus moveat ad agendum, quæras; pro diversitate eorum, qui præ gustum damnationis percipiunt, ipsiusque præ gustus illius, diversimodè respondendum est. Nempè quod reprobis Deus subtrahit gratiam suam, iramque ostendit & terrores incutit, atque in hoc statu eos relinquit, certum est, moveri eum suâ justitiâ vindicativâ, quam illi suis peccatis & incredulitate contumaci lacefferunt: Unde *Justitia* quidem Dei causa *impulsiva interna*; peccata verò, quæ diximus, causa *impulsiva externa*, rectè dicuntur. Quoad eos verò, quorum conversionem aut conversorum renovationem & *δουλοσιν* Deus quærit & perficit, non tam justitiâ suâ vindicativâ, quam suâ bonitate, tanquam ratione aut causa *impulsiva*, moveri Deum existimamus: juxta illud Ebr. XII. v. 6. *Quem diligit Dominus, castigat.* Nam & cum malos in hac vita malis temporalibus afficit Deus, emendationem atque adeò salutem eorum intendens, non tam justitiæ in oppositione ad bonitatem, quam ipsius bonitatis suæ actum exercere Deum, non sine causa Doctores quidam monuerunt. Aut, si illud urgeas, quòd respectu non-conversorum, & intuitu delictorum, quæ admiserunt, tanquam vindicandorum, etiam pœnæ, quæ temporales vocantur, infligantur à Deo; eâque ratione justitiam Dei Deo causam *impulsivam* esse fatendum sit; stante tamen eò, quòd horum-

dem, qui ita plectuntur, propria salus quaratur & promoveatur, ac propterea *pæna* illa *medicinalis* sit, (ut quidam loquuntur) & *κόλασις* s. castigatio potius, quam *τιμωρία* s. pœna in rigore sic dicta; fatendum erit, justitiam & bonitatem s. benignam & paternum affectum Dei, non ita distingui, ut non utrique simul, tanquam causæ aut rationi impulsivæ, idem actus adscribi possit. Interim causa *προκαταρκτηκή* s. impulsiva externa manent peccata ipsorum hominum, sive tanquam Legi repugnantia & offensam Numinis importantia, & sic propriè loquendo puniendæ; sive, ut morbi, amarò quodam pharmacò tollendi spectentur.

§. XXXIII. Causa organica s. instrumentalis ex parte Dei est ipsa Lex ejus, quæ virtute ipsius Dei sibi communicatâ, corda hominum ad agnitionem peccatorum iræque divinæ, & dolorem ob malum contractum & præfens, timorem etiam atque horrorem secururæ plenioris miseriæ perducit, ut supra §. XXIII. diximus.

§. XXXIV. Sed quod ad *Satanam* attinet, eum quoque certo sensu causam efficientem prægustus damnationis esse affirmamus. Nam quando objecta extrinsecus objicit, quæ intellectum & voluntatem afficiant, aut quando intrinsecus phantasiæ species aliquas imprimit, aut motus in appetitu sensitivo excitat, aut à meditatione Evangelicarum promissionum abstrahit, utique efficienter confert aliquid ad gustum illum malorum percipiendum: & nunc causæ subministrantis occasionem, nunc causæ removens impedimentum, nunc causæ physicæ & immediatæ rationem obtinet saltem quatenus prægustus ille in corpore & appetitu sensitivo locum habet, in quibus *Satanas* influxu physico producit, quod dolorosum est & analogiam habet ad statum damnatorum.

§. XXXV. Causam impulsivam verò ex partē *Satanæ* investigare non est difficile. Nempè omninò huc pertinet odium illud, quò adversus Deum hominesque flagrat, quod in ipso *Satana* adeoque ut causa impulsiva interna conspicitur: extra ipsum verò occurrere videtur, seu causæ impulsivæ externæ rationem habere, *Φιλανθρωπία Dei* & status ille melior hominum præ angelis lapsis; quæ sicut oculis æquis intueri hi non possunt, ita hæc movent voluntatem spirituum malorum, ut, ubi possunt, nocere hominibus, eos à Deo aver-



avertere & in perniciem extremam conicere nitantur: speciatim etiam, quando hominem hactenus carnaliter securum, nunc per contritionem in viam salutis divinâ gratiâ reversurum vident, aut hominem fidelem sensu peccatorum in mœrorem quendam conjectum; hac occasione tela sua ignea in eos convertere & conversionem salutarem impedire, in desperationem verò adducere conantur.

§. XXXVI. *Homines* ipsi verò peccatores, *causa demeritoria* rationem utique habent. Per peccata enim hoc malum meruerunt, ut subtractâ gratiâ divinâ patiantur angores ex aspectu Dei offensi & irati proficiscentes.

§. XXXVII. *Materia ex qua & forma*, quæ per unionem sui cum materia det esse composito, equidem hîc locum habere non videntur. Est enim prægestus damnationis potius aggregatum quid ex privatione bonorum plurium & præsentibus malis, actionibus & passionibus pluribus; quam substantia ex materia & forma composita. *Materiale* tamen & *formale* hîc dari, certum est; & materiale quidem sunt ipsa illa mala privativa & positiva, actiones aut passionnes, quas §. VI. & seqq. vidimus, prout in se spectantur; formale, seu id per quod mala illa & actiones aut passionnes recensitæ habent, quod sunt & rectè dicuntur prægestus damnationis æternæ, est ἀναλογία earum cum ipsa damnatione æterna, & his, quæ in illa involvuntur.

§. XXXVIII. Similiter *materiam in qua*, seu causam materiale subjectivam; ut quidam loquuntur, facile cognoscimus. Occurrunt enim, quemadmodum supra vidimus, Homines viatores & peccatores, usu rationis pollentes, ac non solum reprobi & finaliter impenitentes, itemque homines fide salvificâ hactenus destituti; sed & verè fideles ac pii, in quibus, tanquam in subjecto recipiente, fit & est prægestus damnationis; & quidem mediante intellectu, voluntate, & suo modo etiam appetitu sensitivo, ipsoque corpore humano, juxta ea quæ diximus §. VIII. seqq. ad XIV. Unde homines quidem illi subjectum Quod, seu denominationis, Intellectus autem & Voluntas illorum subjectum Quo s. inhesionis, idque primarium, facultates reliquæ ipsorum; corpus subjectum secundarium dici, possunt.

§. XXXIX. Denique etiam de *Causa Finali* ex dictis constat. Nempe ex parte *Dei* & respectu *piorum hominum*, causa, finalis proxima est exploratio fidei ipsorum, ejusdem confirmatio, & ipsorum re-



novatio, ultima est salus æterna eorundem. Hæc enim concipiuntur ut allicientia voluntatem Dei, ut propterea atque ad hæc obtinenda, pios prægustare damnationem jubeat aut permittat. Respectu hominum hætenus improborum, non tamen planè desertorum aut rejectorum, sed sanabilium & sanandorum, causa finalis proxima ex parte Dei est ipsorummet conversio, remotior salus æterna eorundem. Sed respectu hominum reproborum, quibus prægustus ille damnationis, ex intentione Dei judicis, vera inchoatio est damnationis mox secuturæ, causa finalis rectè dicitur peccatorum vindicatio. Finis simpliciter ultimus itaque est sapientiæ, bonitatis ac justitiæ divinæ gloria.

§. XL. Quemadmodum verò etiam Satanam prægustus damnationis causam efficientem certo modo esse ostendimus; ita causa finalis ex parte ejus est hominum pernicies, Dei que contumelia. Propter hæc enim, ut obtinenda, agit Spiritus ad malum determinatus, quicquid hîc agit.

§. XLI. His pertractatis, dabimus operam, ut præcepta vitæ Christianæ, quæ ex doctrina ista fluunt, paulò manifestius ac distinctius appareant. Nempè

1. Datur prægustus damnationis æternæ. Caveamus ergò ab Epicuræorum & Atheorum errore, qui statum damnationis futuræ pro figmento habent.
2. Deus deducit in infernum aut gustum ejus præbet. Itaque metuamus eum, qui potest animam & corpus perdere in gehenna. Matth. X. v. 28.
3. Deus nonnunquam bonitate sua paternâ motus, malum istud gustandum præbet. Ne igitur Christiani perpetuam tranquillitatem & gaudia expectemus.
4. Imò quamcunque sortem Deus immiserit, æquò animò suscipiendam ferendamque credamus.
5. Ex adverso, in hunc statum coniecti fugiant cogitationes, quæ in desperationem inducunt. Confidendum potius est Deo benigno, qui omnia bene facit & faciet.
6. Prægustus damnationis sunt peccata. Propterea quasi à facie colubri fugiamus peccata, quæ si accesserimus, mordent: dentes leonis sunt dentes ejus, tollentes animas hominum &c. Ecclesiast. XXI. v. 2. 3.

7. Pec-



7. Peccata etiam, quæ levia videntur, magnos angores excitare possunt. Nullum ergò peccatum vile putemus; sed in perpetua solitudine ambulemus.
8. Peccata etiam remissa novos angores excitare possunt. Qui sapit, post peccata patrata quotidiana studeat poenitentia.
9. Deum justitia sua vindicativa movet ad præbendum hominibus peccatoribus prægustum damnationis. Qui judices terrenos fallere aut flectere, & sententia ac poenis ipsorum se subducere posse persuasi sunt; infallibilem illum & rigidum & summè potentem judicem vereantur.
10. Deus mediante Lege & maledictionibus ejus peccatores terret, & damnationi vicinos aut subjectos reddit. Satius igitur est, audire Legem præcipientem ac prohibentem, eiqve obedire, quàm intercedente transgressione, maledictiones ejus cervicibus nostris attrahere.
11. Lex ipsa virtutem Dei tam insignem penes se habet. *Vocem ejus audientes ne obduremus corda*; Ps. XCV. v. 7. 8. Nam corda, quæ maturè flecti se non patiuntur, superatâ tandem duritiæ, vim Legis majorem, suò malo, experientur.
12. Lex Dei, in casu tentationis, peccata aliàs incognita manifestat. Sed nos credamus, satiùs esse, ea sic nobis in vita præsentis innotescere, quàm ut hinc non agnita, serò demum, in judicio extremo, cum ignominia publica & perpetua, nobis ob oculos ponantur.
13. Lex peccatoribus nobis post lapsum, nisi Evangelium accesserit, *ministerium mortis* est. Rectissimè igitur in praxi utraqve conjunguntur, etsi in se sint distinctissima.
14. Satanus negotiosus est in propinando nobis poculo malorum infernalium. Caveamus ergò, ne deliciis sæculi inebriemur, unde poculum istud amarum declinare deinceps nequeamus.
15. Satanus verbo Dei abutitur, ad fallendos & in desperationem inducendos homines. Nostrum est, omnes verbi Dei corruptelas, tanquam doctrinas dæmoniorum averfari, & attendere, ne illabamur *εἰς τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ*.
16. Satanus hominibus anxiiis, propter peccata, Evangelii promissiones subducere nititur. Tantò diligentius nos, quoad possumus, familiares illas nobis reddamus, & universalitatem illarum firmiter retineamus.

mus:





- mus: ut cum hora mala venerit, resistere insultibus hostis possimus.
17. Præ gustus damnationis Viatoribus contingit. Sed si hic tanta amaritudo & gravitas angoris est: ipsius damnationis quanta acerbitas & miseria futura erit!
18. Occupat præ gustus damnationis intellectum hominum, Deum iratum exhibendo. Mox ergo mens poenitentis ab hoc spectaculo convertatur ad Deum in Evangelio revelatum, ut benignum & salutis nostræ sitientem.
19. Afficit voluntatem præ gustus damnationis dolore insigni. Atque ita, qui volentes peccant, nolentes mala se laturos cogitent.
20. Deprimit atq; angit Deus voluntatem suorum immittendo hoc genus adversitatis. Cogitetur autem, quod Deus *cor contritum & humiliatum non despiciat*. Juxta Psal. LI. v. 19.
21. Sed & sensitiva facultas in perceptionem hujus mali venit. Scilicet, ubi peccatum crebro concipitur, ibi gustum poenarum percipi, congruum est.
22. Corpus ipsum nonnunquam in hoc statu compatitur animæ. Caveamus, ne corpora nostra, quæ templa Spiritus S. esse debent, profanemus, & afflictioni illorum causam præbeamus ipsi.
23. Præ gustus damnationis etiam in homines fideles & hæredes salutis cadit. Nostrum est, qui exempla talium afflictorum videmus, abstinere à temerariis judiciis de afflictis aliis, & *condemnatione proximi, ne condemnemur ipsi*. Luc. VI. 37.
24. Fideles & justii experiuntur gustum damnationis propter peccatum in ipsis reliquum. *Quod si justus vix salvatur, impius & peccator ubi manebunt?* dicente Petro I. Ep. IV. v. 18.
25. Finis, quem Deus circa præ gustum damnationis intendit, est hominum conversio aut renovatio. Qui cum talibus conversantur, imprimis ministri Ecclesiæ, dent operam, ut sua informatione & consolatione viam parent Domino, quò eveniat, quod Deus desiderat & expectat.
26. Omnes autem s. qui præ gustarunt ipsi damnationem, seu qui aliorum in hoc statu versantium luctam viderunt, sapientiam, justitiam & bonitatem Dei celebrent, ut humanæ infirmitatis memoria servetur & exhibeatur

SOLI DEO GLORIA.









B.I.G.

Farbkarte #13



45

J. J.

JUSTUM ÆTER.

DAMNATIONIS,

PRÆSIDE

VILIELMO BAJERO,

D. EJUSDEMQUE FACULT.

P. P.

NO AC PRÆCEPTORE SUO

ERNUM VENERANDO,

ITORUM DISQUISITIONI

ALMA SALANA

EXPONET

UTOR-RESPONDENS

MUNDUS Rißling/

OETTINGA-SUEVUS,

SEPT. M. DC. LXXXIV. Sept. 1684

TERIS BAUHOFERIANIS.

A. Ludovig.

